



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnium Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Epistola XVI. Alexandri Papae II. Ad Evmdem. Condolet necessitatibus  
ecclesiae Rhemensis, eique auxilium pollicetur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

Condolet necessitatibus ecclesiæ Rhemenfis, eique  
auxilium pollicetur.

*Alexander seruus seruatorum Dei Geruasio Rhemensium diligen-  
tissimo archipræsuli, atque in Christo dilectissimo fratri,  
salutem & apostolicam benedictionem.*

**V**ISIS fraternitatis literis, coepiscoporum quoque tuo-  
rum nec non & clericorum flebilibus auditis querelis,  
sensibiliter intelleximus quam maximis cladibus & arum-  
nis præter solitum Rhemenfis gloriosissima opprimatur ec-  
clesia; quantoque tua religiosa dilectio immerito versetur  
incommodo. Quapropter vera affecti compassione, tum  
ex loci, cui immeriti præsidemus, sollicita consideratio-  
ne, tum etiam ex tuæ prudentiæ necessitudine, quam pio  
diligimus sinceri cordis amore, graui gemitu detrimento  
tuæ condolemus ecclesiæ: nec non fatigio tuo, carissime,  
procul dubio compatimur præcipue. Auxilii quoque dex-  
teram, quam a nostra tantopere postulare studuisti apo-  
stolica sede, integro affectu prompti sumus pro viribus no-  
stris, proque temporis qualitate necessitati tuæ benigne  
impendere; atque apostolicæ auctoritatis clypeum omni-  
bus Rhemenfis ecclesiæ aduersariis libenter opponere: sed  
prænuntii tui festinatione, qui se asserbat collegas nullo  
modo posse relinquere, tuæ causæ habile, utpote in mo-  
mento temporum, minime tunc, absentibus etiam nostris  
fratribus cardinalibus, reperire valuimus consilium. Ipsi  
autem post paululum, tuæ legationis communicata sup-  
plicatione, & aptum consilium inuenire, & inuentum vna  
cum legato, quem a latere nostro poposcisti, auxiliante  
Deo, quam citius poterimus curabimus patribus vestris  
dirigere. Interim vero hanc nostram responsionem suffra-  
ganeis tuis episcopis, qui similiter nostrum per literas im-  
plorauerunt suffragium, suæ matri ecclesiæ Rhemenfi in-  
timare ne negligas, apostolicæ sedis, nisi morte fuerimus  
præuerti, certissime præstolando legatum.

EPI-



EPISTOLA XVII.  
ALEXANDRI PAPÆ II.

AD EVMDEM.

Hortatur vt in causa abbatissæ e Laudunensi monasterio iniuste eiectæ cognoscenda Elinando Laudunensi episcopo, iuxta tenorem commissionis apostolicæ, consilio assistat.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei carissimo fratri Gernasio Rhemensis archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.*

**P**ROCLAMATIO delata est sanctæ apostolicæ sedi, quod abbatissa Laudunensis, monasterii scilicet sancti Iohannis, sine canonica audientia & iudicio episcopi sui a regimine suo eiiciatur. Quod nimirum quia canonicis institutionibus omnino videtur esse contrarium, admonuimus confratrem nostrum Elinandum Laudunensem episcopum, vt hanc causam diligenter discutiat, atque canonicè diffiniat. Ita tamen, vt eadem abbatissa, priusquam discussio fiat, regimini suo, sicut sacri Canones præcipiunt, restituatur. Inuitamus igitur fraternitatem tuam, vt manum adiutorii tui ad hæc exequenda sibi tribuas, & vt hoc negotium iuxta tenorem literarum nostrarum, quas sibi misimus, determinetur, te adiutorem & cooperatorem adhibeas. Quod quidem sollicitudinis studium, etiam si apostolatus nostri literis præmonitus non esses, oporteret tamen deuotionem suam impendere, ipsumque Laudunensem episcopum, quia parochianus tuus est, ad hoc peragendum incitare. Non dubitet igitur prudentia tua hunc laborem arripere, seque pro domo Israel murum opponere. Et quia officii tui est pacem diligere, sicut iam te sæpius admonuimus, iterum admonemus, vt pacem cum carissimo nostro duce Godefrido studeas componere. Periculosum est enim ecclesiam tuam tanto discrimine fatigari, & nobis importabile tot accusationibus pulsari.